



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 103. Friderici Staphyli extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.

dissolvere queat? ubi præmissis quibusdam principiis infert, quod Pontifex ejusmodi connubia dissolvere nequeat, possit tamen declarare, quod ejusmodi homines ad ineunda matrimonia inhabiles existant, adeo, ut postea eorum conjugium redderetur nullum. Eidem quoque Auctori adscribitur brevis quidam tractatus, quo legem, quæ Clericos sacris Ordinibus initiatos ad cœlibatum adstringit, non esse abolendam probat. Ceterum Campegius cuncta argumenta succincte, sed admodum perspicue, ac cum minori, quam ex Ultramontanis Doctoribus potissimi, haustæ opinionis pertinacia pertractat, ac se in Juris Canonici peritia admodum clarum ostendit.

§. CIII.

*Friderici Staphyli extrema.*

Sub idem tempus Ecclesia deplorabat jacturam Friderici Staphyli, quem veritatis amor a Secta Lutheri, cui olim amicitia junctus erat, jam dudum abstraxerat. Primam is lucem aspexerat Osnabrugi in Westphalia, ac postea Universitatem Ingolstadiensem regebat: porro idem considerans Osiandri arrogantiam, necnon imbecillitatem illarum rationum, quas confessionis Augustanæ ab eo impugnatæ Sectatores ei opposue-

Boffuet hist.  
variat. tom.  
x. l. 8. n. 35.

Chitæus in  
Saxon. l. 17.  
Osiand. p.  
144.

posuerant, sensim de veritate illius doctrinæ, quam amplectebatur, dubitare incæperat, atque ab illo temporis momento a Deo illustratus abyssum, in quam sese præcipitem egit, agnoscens, inde eluctatus est, nullamque prætermisit occasionem, qua pro tuenda, ad cuius sinum redierat, Ecclesia dimicare posset. Obiit eo tempore, quo etiam Sectæ, quam feliciter ejuraverat, consilia detegere parabat, quando secretioris consilii Ministrum apud Cæsarem agebat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.

§. CIV.

*Calvini hæresiarchæ interitus.*

Paulo post Hæresiarcha quoque Calvinus animam evomuit, Staphylo tamen multum dispar, nam hic ab Ecclesia, contra quam sacrilege desertam tot populos concitavit, segregatus e vivis excesserat die vigesima septima Maji Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, ætatis vero suæ quinquagesimo sexto. Fatendum equidem est, quod præclaris naturæ dotibus, acri ingenio, fideli memoria, eloquenti, ac facunda scribendi arte, ampla scientia, ac pertinaci errores suos stabiliendi studio excelluerit: verum longe majori adhuc ambitione, & fastu tumebat, atque obstinate omnibus

Thuan. l. 36.  
Th. Beza  
vita Calv.  
Bossuet. l. c.  
l. 10. art. 57.  
Raynald. hoc  
ann. n. 51.  
p. 60.

*Hist. Eccles. Tom. XLVII.*      Z      pro-